

**Ordinis medici in Universitate Litteraria lenensi h.t. decanus D. Christ.  
Gottfrid. Gruner ... solemnia inauguralia clarissimi atque experientissimi in  
medicina utraque candidati Gabrielis Theophili Reinick ... a. d. VI. Augusti  
[M]DCCLXXXIII habenda indicit : recudi curavit lobi Ludolphi theses de  
famosissimo P. Francisci de Lana problemate navigationis per aerem.**

## **Contributors**

Ludolf, Hiob, 1649-1711.  
Gruner, Christian Gottfried, 1744-1815.  
Reinick, Gabriel Gottlieb, 1756-  
Royal College of Surgeons of England

## **Publication/Creation**

Jenae : Litteris Maukianis, [1784]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/gpssh5jg>

## **Provider**

Royal College of Surgeons

## **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

ORDINIS MEDICI  
IN  
VNIVERSITATE LITTERARIA IENENSI  
H. T.  
DECANVS  
**D. CHRIST. GOTHFRID. GRVNER**  
THEOR. PROF. PVBL. ORD.  
SOLLEMNIA IN AVGVRALIA  
CLARISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI  
IN MEDICINA VTRAQVE  
CANDIDATI  
**GABRIELIS THEOPHILI REINICK**

GEDANENSIS

A. - D. VI, AVGUSTI 1784;

HABENDA INDICIT


---

RECVDI CVRAVIT  
**IOBI LVDOLPHI**  
THESES DE FAMOSISSIMO P. FRAN-  
CISCI DE LANA PROBLEMATE NAVIGA-  
TIONIS PER AEREM

---

JENAE  
LITTERIS MAVKIANIS.

РЕГИСТРАЦИЯ  
ДОКУМЕНТОВ  
СОЛДАТСКОГО  
СТАВА  
САДЫБЫ  
ГАРДЕЗСКОГО  
РЕГИМЕНТА  
СЕДИНА АДИЗЕАН  
1801 БУДОПЕШИ  
ЗЕ ПАМОСИСМАН Г. ЕРЯН  
КАЧЕСТВО ПРОДУКЦИИ  
СОХРАНЯЕТСЯ



**M**ira est seculi nostri felicitas, quam posteri nobis aliquando inuidebunt. Quae olim fingere verbis vel chartulis exprimere vix licebat, haec tandem re ipsa confirmata cuique bono viro ostendimus. Negant quidam ex incredulorum familia, miracula etiamnum fieri, portenta nasci, et nihilosecius quotidie mirabilibus hominum dictis et factis adstupemus. Abundamus magis, cum ars illa nobilissima scilicet, magice, per praecepta \*) tradatur, ne refragantibus quidem theologis vel fulmina bruta emiscentibus. In immensum crescit auri fabrorum turba, duce ac coryphaeo PRICO \*\*), neque timenda in posterum videtur auri argenteue penuria, cum quisque e triuio progressus homuncio, pannis vel annis obsitus et adspectu foedus vel ridiculus, possit metallorum formas pro lubitu transmutare. Nuper demum redditæ nobis atque vindicata

\*) Die natürliche Magie - zusammengetragen von Joh. Christ. Wieglob. Berl. 1782. Halle Natürliche Magie, Berl. 1784. P. I. et II. Onomatologia curiosa artificiosa et magica oder Natürliches Zauber-Lexicon — von Joh. Christ. Wieglob, Nürnb. 1784.

\*\*) Versuche mit Quecksilb. Silber und Gold — von Iam. Price, Dessau 1783. Cf. Zauberhöhle in Schottland, Weim. 1783.

cata per MONTGOLFIEROS et CAROLVM \*) ars nauigandi per aerem est, ex quo chemicorum opera varias aeris noui species ad liquidum perduxit, lusus ad seria duxit.

Iam enim ad aethera intrepidi tendimus, et etiamsi ardua via est, quam vix teneas, tamen aeris inflammabilis vi et potestate eniti audemus eo, vnde licet mare et terras, vrbes et delubra videre, obstantes findere nebulas, permeare varias caeli regiones, experiri solis radios et pluuiam, fulgura, rectis oculis intueri, inter tonitrua versari sine vlla formidine, et dei more despicere, quicquid terrigenae suscipiant. Vtinam contingat istis aeris rectoribus commissas habendas alectere! Vtinam nec inuiti per vias praecipites terrae propiores ferantur! Vtinam nunquam currum candescere calidoque inuolui fumo sentiant! Vtinam nunquam igne suo consumti pereant, et PHAETHONTIS poenam luant!

Disceptant inter se physici, quaenam vtilitas ab hac arte pretiosa exspectari aliquando queat. Spernunt eam alii \*\*), tanquam rem ludicram, pueris, quam viris aptiorem. Metuunt multi, ne quafi ab istis aeriis aurigis iniuria fiat, castella et naues incendantur, milites vel adferantur, vel auferantur, inuito domino. Dolent denique plurimi numeros temere insumtos, haud nescii, multos in vrbe esse viros, qui nec panem, nec vestem habeant, et dura necessitate oppressi fame pereant. Praefstat enim ciuem inopem seruare, quam per astra ferri.

Prae-

\*) Descript. cl. de Faujas, Norimb. 1784. Ehrmans Montgofierscher Luftkörper, Strasb. 1787. Hayne Versuch ueber die neuerfundene Luftmaschine — Berl. 1784. d'Inarre Umstaendl. Beschreib. der aerostat. Maschinen und der bisher damit angestellten Versuche, Frf. 1784.

\*\*) Der fliegende Mensch, ein in Halbroman, Dresd. 1784.

Praeterhaec quaeritur, cuinam omnium primas deferre liceat. Nam non desunt, qui e veterum maiorumue monumentis *huc adferunt*, quicquid ad praeripiendas laudes pertineat. Memorant ARCHYTAE auem, IOANNIS REGIOMONTANI aquilam, HERM. FLAVI \*) artem volandi, ELMERI DE MALMABERIA alas, DAN. MOEGLINI folles, PHIL. LOHMEYERI \*\*) nauem ligneam aeriam, STVRMII ausa, LANAЕ \*\*\*)) praeepta, IOBI LVDOLFFI \*\*\*\*) meteoremata, sed haec fere sunt lusus ingenii, experimentis confirmant artem nouam Franco-Galli. Sint ergo maestri virtute et arte sua.

Rarae tamen sunt istae scriptiones, ad item dirimendam per necessariae, ideoque lubitum est, data hac peropportuna occasione, LVDOLEFFI opellam prelo iterum committere, ut, quorum intererit talia scire, habeant, quid apte iudicent atque decernant.

IOBI LVDOLFFI  
THESES  
DE FAMOSISSIMO P. FRANCISCI DE LANA  
PROBLEMATE  
NAVIGATIONIS PER AEREM.

Thes. I.

Aer est materia fluida et grauida, aqua ut fluidior, ita leuior, quippe

a 3

Thes.

\*) Dissertat. habit. et edit. Tubing. 1628. cf. Paullini Philos. Feyerabend, Frf. 1700. p. 583. seq. et Ei. Zeitverkürz. Erbauliche Lust ib. 1697. p. 29.

\*\*) Disl. Rintel. 1666. vers. germ. Rint. 1784.

\*\*\*) *Lana, Franz n. Phil. Lohmayer von d. Luftschifskunst*, Tubing. 1784.

\*\*\*\*) Ita inscribitur: *Theses de famosissimo P. Francisci de Lana problemate Nau-*



### Theſ. II.

Per experimenta eadem mensura, quae 640. ponderum aquam continent, vnius solum ponderis aerem in ſe continebit. Quod experimentum confeceit P. FRANCISCVS DE LANA, referente et approbante STVRMIO in Colleg. Curios. et quidem eiusdem Auctario ad Conſectarium imum Tentaminis 7mi.

### Theſ. III.

Sphaera cuprea vnius pedis Rhenani, quoad diametrum, ſpatium vacuum circumdans, et quoad laminam vndique aequa crassam 9. libras vulgares (Pfund) ponderans, proprio experimento facto, continebit quam proxime 33. libras aquae, adeoque per theſin ſecundam 51. millesimas partes aereas vnius librae, vel faltem 50. millesimas, i.e. vigefimam partem vnius librae.

### Theſ. IIII.

Eadem ſphaera cuprea non, niſi aere repleta, et aquam non intromittens, appenſo quamuis pondere, e.g. plumbeo 21. librarum vigefima tamen parte vnius librae, propter pondus aeris iuxta theſin antecedentem in ſphaera contentum, di minimarum, aquae innatabit.

### Theſ. V.

Eadem ſphaera cuprea ad fundum aquae adhibita vi detruſa, et poſtmodum a vi iſta liberata, ſurſum rurſus uſque ad supremam aquae ſuperficiem ascendet, et quodlibet appenſum pondus 21. libris minus ſecum attollet,

### Theſ.

*Nauigationis per aerem in disp. Philosophorum circulari publice ventilanda die 19. Iunii Hora nona praef. Iobo Ludolffo Phil. et I. V. D. P. P. Math. et Fac. Phil. Sen. Resp. Io. Wilhelmo Ludolffo Phil. et Math. Cuit. Erfurti typ. Groschian.*

### Thef. VI.

Ratio solida duarum praecedentium thesium in eo solum et nullo alio consistit, quod quidem nouem librae materiae cupreae, et vigesima vnius libracae aereae conentur perpetuo descendere, e contra vero 33. librae aqueae conentur concavum spharae ingredi, ut ita compensatione facta 21. librae vigesima librae parte diminutae descensui spherae obstent, et si vis fiat, in tantum reluctentur. Itaque

### Thef. VII.

Si in sphera aliqua pondus cupri aquam circumdantis superet pondus aquae, quam ista continere potest, necesse est, ut eiusmodi sphera, quamvis solo aere repleta, nullo etiam pondere, e. g. plumbeo appenso, ad fundum usque descendat, et aerem inclusum secum abripiat, ex eadem praecedentis theses ratione.

### Thef. VIII.

Determinatio praedicta modo spherae, ut Scientia Euclidea et Archimedea insignis, ita praxi facillima est. Si enim diametrum spherae continuo dimidia parte minuamus, planum conuexum eiusdem spherae, adeoque pondus cupreum spherae circumdans siue continens eiusdem crassitie continuo quarta parte, ipsum contentum vero in spatio concauo octaua continuo parte minuetur, id quod quilibet geometriae gnarus ambabus sciens et credens concedet, geometriae vero ignarus ignorans credere iure meritoque tenetur. Nimirum

### Thef. IX.

Si sphera vnius pedis, quoad diametrum, continuo dimidiando usque ad quartam partem minuatur, tunc pondus cupri continentis iuxta thes. 3. 9. librarum pariter continuo a quarta ad quartam partem progrediendo minuetur usque ad 562. millesimas partes vnius librae,

et

—————

et pondus aquae 33. librarum iuxta eandem thesin pariter continuo ab octaua ad octauam partem progrediendo minuetur usque 511. millesimas partes vnius librae; praeponderant autem 562. millesimae cupri 511. millesimis aquae, ergo eiusmodi sphaera, cuius diameter est quarta pars vnius pedis Rhenani, ab aqua non sustinebitur, atque sic descendet, et non, ut antea, per praec. theses ascendet.

### Thef. X.

Manifestum iam est, ascensum et descensum sphaerae cupreae concavae in aqua fluida ex sola ratione ponderantis cupri continentis ad ponderantem aquam, quam continere cuprum potest, constare, Liquidum ergo etiam ex eadem ratione fieri poterit, dari sphaeras cupreas concavas, quae in aere fluido non solum ascendere, sed etiam grauissima pondera, homines, merces, tormenta bellica etc. secum rapere, quin et remis, et velis quaquaversum dirigi queant, ut ita per hoc nauigatio per aerem P. FRANCISCI DE LANA clarissime patere queat. Nam

### Thef. XI.

Constat, aerem ex vasis vitreis vel aeneis a poris immunibus artificialiter siue per Anthliam pneumaticam extrahi, siue per ignem expelli, siue etiam vase prius aqua repleto, eademque postmodum extracta, non admitti vel intromitti, et sic a vase eiusmodi recludi posse.

### Thef. XII.

Constat porro per varia experimenta, vase aeris plena plus ponderare, quam aere exhausto.

### Thef. XIII.

Consequitur, si in sphaera aliqua pondus aeris quem illa continere potest, superet pondus cupri aerem continentis, et iuxta thef. un-decimam

—

decimam sphaera pondere aeris artificialiter sit soluta, quod in fluido aereo excedens pondus aeris in locum sphaerae aere vacuae introire prohibitum, introire tamen quam maxime annitens minus pondus cupri ad extremam aeris superficiem sursum tollat, sphaeraque superficie illi, quamvis variis appensis oneribus onusta, pro ratione nempe ponderis continentis minoris ad pondus maius, quod contineri potest, iuxta th. Iomam, innatet. Jam vero

#### Thef. XIV.

Determinatio eiusmodi ascendentis et in aere natantis sphaerae rursus facillima est beneficio geometriae. Si enim diametrum sphaerae continuo duplicando augeamus, planum conuexum eiusdem sphaerae, adeoque pondus cupreum sphaeram circumdans eiusdem perpetuo crassitiei quadruplicando, ipsum contentum vero in spatio concavo continuo octuplicando augebitur. Nimirum

#### Thef. XV.

Si sphaera vnius pedis, quoad diametrum, continuo duplicando usque ad 256. pedes, quoad diametrum sphaerae, augeatur, tunc pondus cupri continentis iuxta thesin 3. 9. librarum pariter continuo a quadruplo ad quadruplum progrediendo augebitur usque ad 589824. libras, & pondus aeris vigesimae partis vnius librae iuxta eandem thesin pariter continuo ab octuplo ad octuplum progrediendo augebitur usque ad 838860. libras cum 6. decimis partibus vnius librae. Ergo eiusmodi sphaera non solum sursum ascendet, sed etiam appensa pondera saltem 249036. librarum secum rapiet, quia in tantum pondus aeris exclusi excedit pondus cupri continentis spatium vacuum,

#### Thef. XVI.

Sicut theoria huius rei praemonstrata ratione firmissima est, ita praxis ob sumtus impendendos priuatis hominibus vix ac ne vix qui-

dem tentanda, cum eiusmodi sphaera pro comparando cupro solum  
98304. Imperiales requirat, ut taceamus alios sumtus pro exstruenda  
eiusmodi stupenda machina.

### Thef. XVII.

STVRMIVS quidem in *Colleg. Curios. Tentam.* tomo pag. 61.  
cum P. FRANC. DE LANA statuit, laminas cupreas pedem unum  
longas et latas, quae tres uncias, i. e. tres sedecimas partes unius  
librae vulgaris, pondere tuo non excedant, satis adhuc esse consisten-  
tes ad conficiendam sphaeram 16. pedum in diametro, quae cum ap-  
penso pondere ascendere queat; Sed cum nos thef. 3tia in proprio  
experimento eiusmodi laminas supposuerimus, quae sedecies STVR-  
MII laminis ponderosiores sint, adeoque tres libras pondere suo adae-  
quent, nec tamen eiusmodi laminae, in experimento adhibitae, cras-  
sae adeo, et solum eiusmodi sint, quae prelo pro imprimendis ima-  
ginibus subiici solent, non est mirum, cur STVRMIVS in 16. pedi-  
bus pro diametro sufficienti acquieuerit, nobis vero ad 256. pedes us-  
que progrediendum fuerit. Cuique experturo medium tenere licebit.

### T A N T V M

---

Reliquum est, ut CL. atque DOCTISSIMVM CANDIDATVM in sce-  
nam producamus, qui, relicta Gottinga, Ienam adiit, summos in me-  
dicina honores capessurus. Cuius quae fuerit vitae studiorumque ra-  
tio, hisce verbis ipse exposuit.

**E**go GABRIEL GOTTLIEB REINICK natus sum Gedani d. 11. Iduum  
Nouembris a. CCCCCCLVI. patre IOANNE EILHARDO M. Dr.  
et pratico Gedanensi meritissimo, et matre ANNA REGINA, e stirpe BE-  
RINGHUSENIANA. Parentes optimi, per Dei gratiam adhuc viui et  
sakui venerandi, pietatem christianam a pueris exemplo et institutione mihi  
demon-

demonstrarunt, deinde viteriorem curam mentis excolendae et ingenii effor-  
 mandi praceptoribus dignissimis, praecipue pietati paternae VNSELTI, de-  
 mandarunt. Quibus rite instructus Gymnasium Illustre academicum, quod  
 Gedani floret, adii, et ibidem maxime Reuerendo VERPOORTEN, Con-  
 sult. GRALATH, Exper. SENDEL, b. HANOVIO, WERN-  
 DORFIO et GRODDECKIO, Excell. STRAVSSIO, BARTHOLDI et  
 COSACK, in theologicis, historicis, physicis et medicis, philosophicis, ma-  
 thematicis, graecis et humanioribus litteris praceptoribus usus sum, et  
 dignus demum habitus, cui ad studia vterius prosequenda liceret a. CIOIOCC-  
 LXXIX. Gottingam petere, ubi a Prorectore Magnifico tunc temporis Viro  
 maxime Reuerendo, KVLENKAMP, in numerum ciuium academicorum re-  
 ceptus, Ill. Conf. aul. HEYNE antiquitates romanas, auctores classicos et  
 HORATII artem poeticam exponentem audiui, scholas historicas Ill. Conf.  
 aul. GATTERERI et SCHLOEZERI, psychologicas Excell. MEINERSII,  
 physicas Excell. LICHTENBERG, anglicanas Cel. DIEZE, mathematicas  
 Clar. MVELLERI, frequentau. Medicinae vero doctrinas summa diligen-  
 tia mihi tradiderunt clarissimi artis professores, et quidem Encyclopa-  
 diam medicam, Anthropologiam, Semioticam, Pathologiam et Therapiam ge-  
 neralem, Materiam medicam et Pharmaciam illustrauit, et in instituto clini-  
 co artem aegrotis opem ferendi docuit Ill. Conf. aul. et Arch. primar. Gas-  
 sellanus, BALDINGER, Botanicen, Materiam medicam, doctrinam de ve-  
 nenis et vermibus intestinalibus mihi explicauit Ill. Conf. aul. MVRRAY,  
 cuius exercitationibus examinatorio-disputatoriis etiam interfui. Praecepta  
 chirurgiae medicae et manualis, therapiae specialis et diaetetics, et quae  
 circa morbos oculorum et ossium versantur, optime mihi exposuit Ill. Conf.  
 aul. RICHTER, sub cuius moderamine applicationem regularum therapiae  
 ad usum et singulos morbos in nosocomio didici. In anatomicis, physiologicis  
 et arte obstetricia theoretico-practica ducem et magistrum veneror Excell.  
 Prof. WRISBERG, in chemicis Excell. GMELIN, in osteologia et historia

natu-

—

naturali Excell. BLVMENBACH, in pathologicis denique Excell. STRO-MEYER. Absoluto studiorum curriculo, tandem Ienam petii, ibique Pro-rectore Magnifico Viro summum Reverendo GRIESBACHIO iura ciuium aca-demicorum obtinui, et a Gratioſo et Ill. Medicorum ordine, cuius in me hospi-tem fauor tantus fuit, quantus est maximus, honores in medicina summos petii. Nunquam omnino quidem satis, sed, ut spero, in posterum ex parte saltem Praeceptoribus et Fautoribus optimis reddam, quae potero, pro be-neficiis et praecceptis, in me largiter colloqatis.

Haetenus ille. Qui per annum ita inter nos vixit, ut temporis et studii eum nunquam poeniteret, ita respondit de rebus medicis quaesi-tus, ut dignus Ordini Nostro videretur, cui summi in arte medici-nali honores denegandi amplius non essent. Defendet ergo a. d. VI. Augusti suam diff. *de moscho*. Quo peracto officio, quod leges et insti-tuta maiorum iubent, equidem condigna praemia in eum conferam. Huic panegyri ut intersint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORE-CTOR, MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR DESIGNATVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES CONSCRIPTI, PROFESSO-RES CLARISSIMI, GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI COM-MILITONES, ceterique bonarum litterarum FAVTORES, id est, quod Ordinis mei verbis perobferuanter et perhumaniter oro rogoque. P. P. Sub Sigillo Facultatis a. d. III. Augusti 1515 CCLXXXII.

